



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De infantibus in adulterio natis, & ad Ecclesiam expositis. cci.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

De fugientibus ad ecclesiam. Cap. CXCVII.

SI quis contumax vel superbus timorem Dei, vel reuerentiam ecclesiarum sanctarum non habuerit, & fugientem seruum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de ario ecclesia, vel de porticibus quomodolibet ecclesia adherentibus per vim abstraxerit, & Deum omnipotentem in hoc contempserit, pro emunitate D. CCCC. solidos episcopo componat, & ipse publica poenitentia iuxta iudicium episcopi multetur, vt sit honor Dei & reuerentia sanctorum, & vt ecclesia Dei semper inuicta permaneat.

Ex cōcil. Mediomatricis, cap. 2.

Quid in Ecclesia Dei legi debeat. Cap. CXCVIII.

Nihil aliud in ecclesia legatur aut cātetur, nisi ea quae auctoritatis diuinæ sunt, & patrum orthodoxorum sanxit autoritas, nec falsa angelorum nomina colant, sed ea tantum, quae prophetica & Evangelica docet scriptura, id est, Michaël, Gabriël, Raphaël.

Ex cōcil. Aureliano, ca. 3.

Vt excommunicandi sint qui libros famosos legunt. Cap. CXCIX.

Huiusmodi inuenti fuerint libros famosos & ignotos in ecclesia legere, vel cantare, excommunicentur.

Ex decre. Adriani papae, cap. 2.

De illis quae clam concipiunt. Cap. CC.

In hoc sancto concilio decretum est, vt vnusquisque presbyter in sua plebe publice annunciet, vt si aliqua femina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam diabolo coartante filium, aut filiam suam interficiat, sed quocunque praualet ingenio, ante ianuas Ecclesiae partum de portari, ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur, & tali ex causa homicidij reatum, & quod maius est, parricidium euadat. Nam qui filium, aut filiam interficit, parricida omnimodis tenetur.

Ex concil. Matiscae, cap. 6.

De infantibus in adulterio natis, & ad ecclesiam expositis. Cap. CCI.

Si expositus ante Ecclesiam cuiuscunq; fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam, vt si is qui collectus est intra X. dies quaesit, agnitusq; nō fuerit, securus habeat qui collegit. Sanè, qui post praedictum tempus calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica distributione damnabitur, sicut patrum sanxit autoritas.

Ex cōcil. Arlatiense, cap. 5.